

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 40. (*Neovidensis* 1806. Nro. 33.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Magnus Pensionarius Fagel salutem dicit
cuidam suorum amicorum in Hollandia.

Elysiuni - Meum. - Die Martis 6. Maji. 1806 (*Neov.* 22. April. 1806.)

Quamvis nos hic in sedibus beatorum parum
curemus negotia inquieti orbis superioris, at-
tamen memorabiles eventus admirationem ex-
citant in Manibus, praesertim illis, qui viven-
tes majore quapiam dignitate fulserunt.

Nuperrime deambulans ad ripam Ache-
rontis observavi adventare nonnullos Hollan-
dos. Curiositas aliquid novi a meis popula-
ribus audiendi me illis adjunxit, qui post mul-
tas ultro, citroque positas quaestiones, seda-
to animo, quod mihi displicuit, narraverunt,
ultimum Gubernatorem, Wilhelmum V Princi-
pem Arausionensem die 9. labentis mensis
Aprilis Brunsvici extremum vitae spiritum edi-
disse.

Plenus mœrore reversus sum in meum
domicilium, ubi multitudo tristium cogitatio-
num animum replevit. Quid? ita ego me-
cum, moritur ultimus noster Gubernator, &
mundus rem hanc tam indifferenti spectat

oculo, ut vix dignetur anunciare ejus obitum. Non reddiditne familia Arausionensis historiam Hollandiæ memoratu dignam? Numquid non erant Wilhelmus, & Mauritius Nassaviensis, qui patriam nostram liberarunt a dominatione hispanica, qui e fœderatis provinciis, ditissimam, dignissimamque formavere Rempublicam.

Quam despecti fuerimus ratione nostri territorii, atque extensionis, antequam nos Principes Arausionenses libertate donassent, patet ex nota tunc temporis narratione: Dimicatio libertatis nostræ causa suscepta tam diu duravit, tamque heroicis factis complevit orbem, ut Turcæ multitudine bellorum, quibus implicabamur, in summam fuerint rapti admirationem. Illius temporis Turcarum Imperator, pro maximo Regnorum moveri arma arbitrabatur, nostramque patriam minimum quartam, vel tertiam totius Europæ efficere partem. Quantum vero stupuit conspiciens in tabula geographica exiguam nostram regionem. Quid, ait, ergo palmus terræ tantarum est causa turbarum? Si ego illi provinciæ præessum, resque mea ageretur, mitterem iluc quospiam ex fossoribus vallorum, illudque frustulum terræ curarem effodiendum, & in mare projiciendum.

Negari nequit, Mauritium Nassaviensem naturali Politicæ cursu affectasse imperium Hollandiæ; De hoc conatu eum occisio Berneveldtii, & fortuna belli suspectam fecere. Interim fatendum est, ad ejus successoribus patriæ nostræ libertatem non fuisse immuta-

tam, primam illi solummodo dignitatem ambiebant. Hac de causa tanta intercedit inter Principes Arausionen-es, & res gestas Hollandiæ connexio, ut illi omnino peculiarem mereantur attentionem. Jam autem vitæ curriculum conficit Wilhelmus V, ultimus infelix Gubernator, vix sit ejus mentio, eaque frigida propterea, quod imperiosa rerum adjuncta eum coegerint Hollandiam relinquere.

Nomen Nassaviense Arausionicum magno cum splendore comparet in Historia Germaniæ, & etiam Galliæ: Principatus Arausionensis, qui trium horarum itinere distat Avenione, & unius a Rhodano, erat juris familiaris Nassaviensis, unde originem trahit nomen Nassaviense Arausionicum. Ast, quemadmodum in turbulento hujus mundi Oceano Regna, urbes, atque Dynastiæ præcipites aguntur, ita etiam magna nomina absorbentur voragine oblivionis. Solæ historiæ memorent, & quam diutissime commemorabunt nomen Nassaviense fuisse Cæsareo throno inscriptum, & Principes Arausionenses longo tempore prima munia gessisse in Republica Hollandorum — Nunc vero Serenissimus filius — novam incipiet epocham.

Magno etiam cum gaudio intellexi, consultationem extraordinariam, quam præpotentes Fœderatorum ordines 1. Aprilis secreto inchoaverunt, 14. hujus etiam secreto esse terminatam. De quo argumento ephemerides Hagenses 15. hujus sequentia scribunt: Hodie tenor consultationum in scripturam

est redactus, & a præpotentibus ordinibus confirmatus. Excellentissimus Magnus Pensionarius certos nominavit viros, qui, ut primum fieri potuerit, proficiscentur Parisios facturi Suxæ Majestati, Imperatori, & Regi Napoleoni relationem de extra ordinem habita deliberatione. Delectarum autem personarum hæc sunt nomina: Verhuel, Gogel, Styrum & Six.

Nostra soror — Helvetia videtur etiam in magna rerum confusione versari. Huc descendens Helveta mihi ista exposuit, quæ Bernæ 15. Aprilis acciderunt:

Ex quodam summe utili libello, quem peritissimi opifices, & mercatores Vitodurenses, ratione hodierni interdicti, a nostro summo, & Augusto fœderato Imperatore Gallorum promulgati, gubernio Tigurensi submiserunt, ut cum aliis Civitatibus communicetur, proxime plura dabimus de industria incolarum Helvetiæ.

De hac materia ita habent ephemerides Basilienses: Metus est, ne via, quæ hæctenus adhuc patebat Helvetis in Italiam ad distrahenda suæ industriæ producta, paulo post intercludatur. Nonnullæ Fabricæ cessarunt jam laborare, complures suas operas circumscribunt, quod ingenti afficit mœstitia fabricatores. Copia numeratæ pecuniæ ad forum adductæ probat adhærescere commercium.

Litteris ab Excellentissimo Helvetiæ Landamanno 26. Martii datis significantur fœderatis Civitatibus proposita in conventu A. 1804 ha-

bito consilia circa commercium hispanicum, ut ea de re suos ablegatos debite informent, tanta enim omni ex parte impendent obstacula commercio Helvetico, ut sollicita opus sit cura ad ejus conservationem. — Altero autem scripto 29. Martii edito certiores fiunt fœderatæ Civitates de requisitis, quæ gallicis civibus, in exteris provinciis matrimonia ineuntibus observanda sunt, si velint, ut eorum conjugia in Galliis valida habeantur.

Post hæc incidi in umbram Anglicam paulo ante advenientem, quæ mihi Londini 7. hujus acta in hunc modum explicuit:

Die 3. hujus appulit ad nos Jacksonius, frater legati nostri Berolini residentis. Recta petiit tabularium Foxii, verum eo ibidem non reposito, adiit ejus domum, ubi allata scripta aperta sunt; Sine mora indictum est secretum consilium, quod ultra duas horas protrahum fuit. Paulo post didita est fama, bellicosa consilia esse conclusa adversus Borussiam. Qua de re Aulicæ ephemerides ita sonant: Cum Sua Majestas compererit, Regem Borussiæ aperta vi, & more hostili diversarum Electoratus Hannoverani partium, aliarumque Suæ Majestatis provinciarum possessionem adivisse, & præterea demandavisse, ut Anglicæ naves arcerentur ab aditu in portus Borussicos, & alios Germaniæ Septemtrionalis, idque in detrimentum juriæ Suæ Majestatis, & contemptum legum, & consuetudinum, inter amicas nationes vigentium, eapropter Sua Majestas ex mente intimorum suorum Consiliariorum sibi

subjectis prohibuit, ne, usque ad ultiores ordines, ausint ullum Borussicum portum intrare. Porro præcipit Sua Majestas, ut omnes Borussicæ naves, in quocunque unitorum Regnorum portu deprehensæ, una cum suis præsidiis, & mercibus, quarum tamen postremarum inviolate conservandarum interea summa cura habenda est, occupentur. Executio præsentis dispositionis committitur Procuratoribus æarii publici, Collegio Admiralitatis, & 5. portuum Governatori.

Subscriptus: *Steph. Cottreil.*

Windhamius nunciavit Præfecto urbis, Locumtenentem Dale attulisse litteras a Generali Baird, & alias ab Admirali Popham in promontorio bonæ spei die 28. Januarii scriptas, quibus Hollandicus Generalis Janson 16. Janur. se dedidisse affirmatur, ut adeo jam tota illa colonia potestati Anglorum subjecta sit.

Præfectus navis Loring certum facit Admiralem St. Vincent, se 28. præteriti mensis cum sua celoce Niobe, tres gallicas celoces, & unum navigium insecutum esse, atque navigium, *Corvetam* appellant Angli, 16 tormentis, & 90 præsidiariis instructam cepisse, Corvetta hæc vehebat bellicum apparatus, atque annonam pro 5 mensibus suffecturam.

Hodie mane observata est ex portu Dubrensi pacifica gallica navis Bolonia adventare, cui illico navigium obviam missum est

ad litteras, quas ferebat, recipiendas, & Londinum deportandas.

Parisina pallens anima, admodum quieta, his, quæ sequuntur, novitatibus, Parisiis collectis 17. Martii, nos obruit :

Monitor sub articulo Heidelbergæ, ita scribit: Arx, atque horti Schvevingenses, nec non palatium Manheimense præparantur ad condigne excipiendam Cæsaream Principem, Stephanam Napoleonem.

Die 18. Martii Imperator Reinhardtium, prius legatum Hamburgensem, suum in turcicis provinciis, trans Danubium Residentem, ac rerum mercatoriarum in Moldavia curatorem constituit; Parentium autem, qui hætenus Varnæ in Bulgaria habitabat, eidem adjunxit, qui imposterum Bucorestæ figet domicilium. Ad hoc tempus Jassii nonnisi gallicus rerum ad negotiationem pertinentium procurator degebat; At nunc hæc statio maximi momenti habetur: quæ propterea concedita est viro, in rebus diplomaticis versatissimo, qui omnibus muneribus egregie perfunctus est. Reinhardtus intra spatium trium hebdomadarum ad destinatum sibi locum concedet.

Recenter erecti Principatus in Italia conferentur viris, tam in statu civili, quam militari de patria bene meritis. Ad primos referuntur Archicancellarius Regni, Cambacères, & Talleyrandius negotiorum externorum Minister. De priore nonnulli attrahant,

illum adhuc animum ad rem uxoriam ad-
iuncturum.

Publicandum.

Cum D. Emericus Vitéz Districtualis Scho-
larum Nationalium Inspector Regius Jaurinensis
29. Martii a. c. Supremum diem obierit; Va-
cantia haec in praefato munere enata de beni-
gno gratioso sub 8. Aprilis a. h. N. 5825. emana-
to Intimato illico publicanda praecipitur, ea cum
invitatione; quod muneri huic annuum 600. flor.
stipendium, praeter Diurna, & Currules officio-
si itineris expensas, ad mensum sit, & qui hoc
pro munere recurrere voluerint, teneantur suos
Libellos supplices necessariis documentis super
Charactere morali, requisita ad obeundum idem
munus habilitate, peritia in praescripta normali
docendi methodo, notitia lingvarum cum primis
Hung. ac super praegestis etiam in Re Literaria
Officiis instructos Superiori studiorum Directori
Districtus Jaurinensis usque ad 15. Junii a. l.
inclusive transmittere.

In eadem hac Officina Belnayana sequen-
tes, praeter complures alios, venales
libri prostant:

Cétsényi Svastics Ignácz Magyarok' Histo-
riája, három rézre metszett képekkel III.
T. maj. 8. 1805. 5 fl.

Atala, vagy két Indus' Szerelme a' Luizianai Pufz-
tákon. Kötve 45 kr. Posta papirofira 2 fl. Fényes
papirofira 4 fl.
